

7	AAS XXI (1929) 170-171	349 §1 n.1 — can. 1078 — can. 1099 §1 — can 1245 §2 — can 1761 §1 — can. 1971 §1 n.1 — can. 1067-1080 — can. 1081-1103
---	------------------------	--

**ACTA OFFICIORUM****PONTIFICIA COMMISSIO****AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS****RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA**

Em̄i Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

**I. — DE SACRIS BENEDICTIONIBUS**

D. An verba *ritibus ab Ecclesia praescriptis*, de quibus in canone 349 § 1 n. 1, ita intelligenda sint ut Episcopi in sacris benedictionibus prohibeantur solo crucis signo uti, quum peculiaris formula in libris liturgicis non praescribitur.

R. *Negative.*

**II. — DE IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS**

D. An vi canonis 1078 ex solo actu, ut aiunt, civili inter eos, de quibus in canone 1099 § 1, independenter a cohabitatione oriatur impedimentum publicae honestatis.

R. *Negative.*

**III. — DE DISPENSATIONE AB ABSTINENTIA ET IEIUNIO**

D. An *magnus populi concursus*, de quo in canone 1245 § 2, habeatur etiam per extraordinarium concursum fidelium unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum.

R. *Affirmative.*

**IV. — DE POSITIONIBUS SEU ARTICULIS ARGUMENTORUM**

D. An secundum canonem 1761 § 1 servari possit praxis, vi cuius iudex cum altera parte communicare solet positiones seu articulos argumentorum, super quibus testes sunt examinandi, ut interrogatorium conficiat exhibeatque iudici.

R. *Affirmative*, remoto tamen subornationis periculo.

V. - DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM

D. Utrum vox *impedimenti* canonis 1971 § 1 n. 1 intelligenda sit tantum de impedimentis proprie dictis (cann. 1067-1080), an etiam de impedimentis improprie dictis matrimonium dirimentibus (cann. 1081-1103).

R. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Datum Romae, die 12 mensis Martii anno 1929.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

L. ☩ S.

Ioseph. Bruno, *Secretarius.*

---

**PONTIFICIA COMMISSIO PRO RUSSIA**

---

NOTANDUM

*In decreto relato pag. 94 (fasc. II) huius voluminis, lin. 12 pro eo quod est « ut singulos casus huic Pont. Commissioni, etc. » legatur: « ut, quotiescumque de clericis agatur, sive sacerdotes sint sive solummodo diaconi, singulos casus huic Pontificiae Commissioni », etc.*

---